



PR

C

P U

diffic

L



D. PANCRATII *Wolffs* |  
PROFESSORIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
PUBLICI

*Hippocraticus* προ-εξ-ευ-κρινήσας

declarans

**ORGASMUM,**  
PURGANTIA IN FEBRIBUS  
ACUTIS, ALIAS INTEMPESTIVA,  
URGENTEM

Adjectis etiam X. Aegrotis,  
difficillimam ejusdem praxin elucidantibus, & simul auri  
fulminantis saliumque volatilium præstantiam  
comprobantibus.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCVI.



05 H 660



I. N. 7.

## PROOEMIUM.

§. I.



Hippocrates, vere paterno candore artis suæ filios monens, (a) *Turpis est calamitas*, inquit: *medico, hominem pharmaco*, purgante aut vomitorio, (b) *dato, interficere*. Quibus Cous parens non solumcum Ballonio (c) medicos hortatur, ne ipsi lipothymicis, aliisque languidissimis ægris, purgantia exhibeant, & morte fortassis eodem die superveniente, (d) *suspicionem subeant ejus, ut occisi, quem fors sua peremit*; sed inculcat etiam idem, unico sæpius intempestivo purgante damnum ægrotis quibusdam irreparabile contrahi; utpote quod solum deinde sufficiat, tanquam causa, mortis, (e) etiam post aliquot dies insequentis; ut exemplis pluribus (f) ipse confirmat.

(a) de purgant. III. 12. Vol. I. p. 608.

(b) ambo enim hæc Hippocrates sub nomine pharmaci comprehendit.

(c) qui paradigmate LXXIII. hunc Hippocratis textum ita interpretatur: *Turpis est calamitas medico, ægrum eadem die, qua pharmacum purgans assumfit, interficere*, quibus gravissimus scriptor, præter morem suum medicæ imperitiæ patrocinari videtur.

(d) verba sunt ejusdem L. I. Confil. GIX.

(e) de vict. acut. LVI. 11. Vol. II. p. 314. *Talibus (NB.) belleborum ne dato, nihil enim profuerit, & si quid æger perpetietur, helleborus in causa esse videbitur*. Conf. de purg. IV. Vol. I. p. 608.

A

(f)L.

(f) L. V. Epid. VII. Vol. I. p. 772. Scamandri, qui pharvacum, bilem abunde purgans, bibit, ac insuper catapotium deglutivit, & secessit quidem; nihil autem opis a catapotio sensit; & rursus idem pharvacum forte ad vesperam bibit, ac, emergente sole, non ortus est. Videbatur autem morbum multo tempore ferre potuisse, nisi ex pharvacio periisset. Confer ibid. XVI. 10. Vol. I. p. 780. 781. adolescentis ex Euboea, & servæ barbaræ.

§. II. Purgantia siquidem, & præsertim vomitoria communia, generosa sunt medicamenta; qualia sicut tempestivo usu multum profunt; sic eo gravius intempestivo nocent. Eadem insuper, præ reliquis medicis auxiliis, Hippocrate (a) ac Ballonio (b) verissime docentibus, operationes suas edunt incertas; adeoque res difficillima, imo nonnunquam impossibilis est, singulorum ægrorum ætates, naturas, anni tempora, constitutiones &c. pro pari & impari eorundem efficacia, dimetiri; quin idem pharvacum, quod in hoc ægroto minores, quam res postulet, dejectiones provocet, in aliis contra, imo eodem, diverso tempore, (c) præter omnem opinionem enormi terreat hypercatharsi. Præsertim autem hoc usu venit, cum error ægroti, vel levissimus, accedit; (d) qui tamen deinde non agnoscitur, sed ejus medicus inculpatur, (e) malevolis & æmulis admodum conspirantibus, pessimisque calumniis, supra omnem veritatem gravissime rem exaggerantibus.

(a) de purg. I. vol. I. p. 607. *Pharmacorum purgantium res non ita se habet, ut vulgo putatur; eodem enim medicamento purgantur & non purgantur; quandoque vero alia purgat, quam que purgare solet, aliquando nimium purgat; licet aliquando ea, que debet faciat. Quare fieri non potest, ut quis, medicamentis iisdem confusus, ea temere exhibeat.*

(b) L. I. Consil. XCIV. *Eo discrimen maximum subis, quod per purgationem tentatur; maxime si laborantis naturam non fueris expertus. Si enim naturam non noveris, metus est, ne plus justo vacues, aut nullo pacto naturam moveas, aut, si moveris, non sufficienter vacues; quæ omnia in magnis morbis maximas pariunt offensas.*

(c) Sic Bartholin. C. IV. epist. XIV. recenset, comitissam, ex occasione ira, ad 4. dies infinitis vicibus, discrimina assuntum, purgans annuum, a quo alias septies cum euphoria eidem alvus fuisset commota.

(d) v. g. Simulicrula, supra & contra medicos sapientes, dulcissimis jusculis lacteis & emulsionibus amygdalarum confortare audent ægrotas, vel hereditariis, colicis hystericeve passionibus obnoxias, aliasque dulcia, ne sanis quidem temporibus, ferentes. Nam, monente Hippocr. S. V. aph.

V. aph. LXIV. Vol. 1, p. 97. *Lac dare caput dolentibus malum; malum etiam febricitantibus, & quibus præcordia elevata permurmurant, ut & sicculosis. Malum etiam quibus biliose sunt egestiones (aut æruginosi vomitus) in febris.* Præsertim vero mala cumulantur, si præterea cerevisia, haud satis defæcata & acefens, superbibatur qualis hic Halæ, Lebiginensis dicta, est, etiam in se & optima, quæ haberi potest. Adhuc autem passionés tales magis poma exasperant Porsdorffiana, cum passulis minoribus cocta, in prandio exhibita, pro faciliori alvo reddenda.

(e) Hipp. euschymos. X. 21. Vol. 1, p. 58. *Et factum quidem hoc non ad ægrotorum confessionem vertitur, sed medico culpa imputatur,*

§. III. Quo etiam maligni planetarum aspectus pertinent, in febres acutas incidentes; quando gravissima symptomata, his alias consueta, deinde quasi medicamentis vehementia, aut intempestivo usui ab imperitis solent ascribi. Quomodo cum talibus (a) d. 20. Novembr. A. C. 1706. auri fulmin. gr. IV. cum antimon. diaph. & pulv. bez. Senn. aa gr. viii, propter urgentem laxantis indicationem, præscriperam die II. virgini honestissimæ 19. ann. haud minimi naturæ roboris, aut suspectæ teneritatis, (b) ex occasione iræ quæ febricitabat ac, cum capitis, lumborumque dolore, & spasmodico lateris sinistri torpore, alvo etiam biduum obstructa, se anxie jactabat. Quo pulvere mane assumpto, eandem euphoria usque ad prandium recreaverat, sed quam post illud colici dolores ventriculi, (apud mulieres veri cordis dolores mentientes) commutaverant; hinc quoque hysteriæ suffocationis aphoniæque, insultus terruerant, cum corporis perfrigeratione, tres alvi dejectiones, & unum æruginosorum vomitum, insecti. Quantumvis autem ægrota, elapsa hora, & à vomitu, mox recalesceret; dolores lumborum capitisque, ipsæque inquietudines remitterent, lotium, antea crudum, sedimento laudabili mane concoctionem promitteret; noctis euphoria per insequentem diem usque ad vesperam continuaret: Attamen, quod hac insultus similis repeteret, gravem inde diffamationem intellexi; quasi violentia purgantis hujus insultuum hujusmodi, quin imo morbi totius, mortisque ipsius causâ fuisset; cum tamen, medicamentis meis mox insuper habitis, & per 4. dies curatione alii medico concredita, mors quarto

posthac die, morbique VII. demum, oppresisset. Quis autem medicinæ satis peritus, (c) insigne hoc medicamentum, cordiale, diaphoreticum & antispasmodicum, ac vix laxans dicendum, (d) horum posset inculpare ?

(a) scilicet oppositione Saturni & Mercurii, novi Junio, quadrato Jovis & Solis, oppositione Martis & Mercurii, oppositione Saturni & Solis, & oppositione Martis & Solis, per paucos illos dies simul concurrentibus.

(b) Sic enim elegans corporis proceritas, pulchre carnosus habitus, & jucundus faciei rubor significabant, neque me in tribus februm curationibus, quas intra paucos annos in eadem ægrota feliciter peregeram, fefellerant ; præsertim vero, cum refer. L. X. Ann. pr. f. 447. Anno 1703. mens. Novembr. in aliis ædibus morbillis malignis decumberet, & d. VII. perturbatio critica, sine quovis purgante aut auro fulmin. magis à talibus, similes dolores spasmosque colico-hytericos ferret ; quibus tamen breviter solutis, d. XI. perfecte morbus judicabatur, & ægrota feliciter convalescebat.

(c) Hipp. de vet. med. XXXVIII. Vol. I. p. 36. *Novi medicos, velut idiotas, qui, ubi aliqua die novi quippiam ægri fecissent, (v. g. aurum fulm. assumissent,) atque hæc omnia melius esset adhibuisse, quam non, nihilominus tamen casum alicui ex his contribuebant, veram causam ignorantes, & id, quod commodissimum erat, damnantes.*

(d) Vide Zwelf. Mantiff. Spag. f. 320. Friderici Hoffmanni Senioris, medic. quondam hic Halæ felicissimi, Clav. Schroder p. 204. Cujus Dominus filius, jam Magnificus Prorektor, Regius Consiliarius & Archiater, non ita pridem Consulis conjugem, ex iliaca passione cum febre purpurata vere deploratam, inter alia iterato insignis hujus medicamenti usu, ejusdem officinæ, fere ab ipsa morte revocavit. Ut meam 30. ann. praxin taceam, quæ, toties totiesque usitatum, hoc medicamentum felici semper successu comprobavit, ut inferius etiam ostendetur.

§. IV. Quod si autem morbo in ullo tempestivus purgantium usus artis est opus, eruditionem, practicumque judicium efflagitans, is certe hujusmodi febribus in acutis occurrit. Quamobrem Hippocr. (a) in acutis affectionibus (seu febribus) raro, inquit: *etiam in principio, pharmacis uti oportet purgantibus, & hoc facere, diligenti prius estimatione facta.* (καὶ τὸ πρὸς ζευκνῶστας ταῖς πύλεις.) Quarum emphaticæ hujus vocis particularum prima, πρὸ, regulam ponit, purgantia in febribus prohibentem; quam secunda ἐξ ampliat, ut eadem neque in principiis, facilius quidem, quam reliquis temporibus, locum



cum habeant; tertia vero *eu* orgasmi exceptionem inculcat, qui purgantia, in febribus quidem alias prohibita, tamen urgeat. Ut adeo medicum quidem purgantium *pericula* in febribus acutis *fugere oporteat, sed si modo honestam fugam habeat*, ne scilicet famæ studio conscientiam vulneret, in iis etiam casibus purgantia omittens, in quibus ea necessario postulatur. Cum vero difficilis hujus materiæ copiosa ubertas, consuetam, dissertationis unius, angustiam non ferat, regulam cum ampliatione in aliam reservare, & hac tantum exceptionem orgasmi pertractare placuit. Benignissimum Numen cœptis his nostris, in praxi tam utilibus, clementissimæ benedicat, ut, spinis eorundem superatis, corticibusque confractis, ipsum veritatis suavissimum nucleum, in auspicatum illius supplementum attingamus & percipiamus.

(a) S. I. Aph. XXIV. Vol. I. p. 72.

(b) ut cum Hipp. de fract. XXXIX. 7. Vol. II. p. 749. loquar.

CAP. I.

Hippocratici orgasmi exceptionem declarat.

§. I.

**S**icut igitur duæ priores, Hippocratici *πρω-εξ-εὐ-νεο-νέειν*, particulæ indigitant, secundum regulam quidem, & ut plurimum, à febribus acutis purgantia prohiberi; cum potius ante ipsarum oppresionem præservative, vel post judicationes, imperfecte tamen finitas, (a) debeant exhiberi: Sic tertia (*eu*) contra inculcat, in medica praxi acutarum febrium casus longe invicem discrepare, ut, præter regulares, etiam excepti & anomali, occurrant, quales sint orgasmi. Qui vero est, quando crudorum humorum copia simul in primis viis luxuriat; quæ, tanquam alius morbus, febribus acutis complicatus, peculiare indicationes, & in his quoque purgantium, sibi postulat. Hæc igitur, licet a febribus acutis prohibeantur, a crudorum tamen humorum orgasmo,

A ;

præ-

præponderante, urgentur, ne iidem febres ipsas deinde in iudicationibus maligne pervertant. Ut igitur in casu, tam dubio, pro periculo minori eligendo, illa vel cum temeritate quadam (c) in febribus acutis tum debeant adhiberi; sicut in eisdem orgasmi casibus natura ipsa spontaneis vomitibus & alvi fluxibus, tum solum criticis & salutaribus, solet præire.

(a) Hipp. S. I. aph. XX. Vol. I. p. 71. *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque movere oportet, neque novare, neque medicamentis purgantibus, neque aliis irritamentis, sed finire.* Confer. River. Instit. L. V. P. I. S. II. C. IV. f. 158.

(b) exponenda secundum Hipp. L. I. de morb. XII. 50. Vol. II. p. 16. *Differunt affectiones ab affectionibus, & de fract. XXXVIII. 5. p. 747. curationes a curationibus.* item L. I. de morb. IV. 23. p. 6. *Propterea morbi multi curantur intempestive, quoniam ad pejus inclinationem habent, propter curationem, non in tempore factam, ut, si quod jam curari oportet, differatur, aut, quod differre oportet, id ipsum jam curetur; talia quippe omnia intempestive curantur.*

(c) inculcante Celso, *multa in præcipiti periculo recte fiunt, quæ alias essent omittenda.*

§. II. Etenim, hortante ipso Hippocrate, (a) *purgare oportet in valde acutis, si turget, eadem die, nam in talibus morari, malum est;* sicut etiam pluribus ægrotorum suorum exemplis corroborat. (b) Magis vero exceptioni, quam ipsi regulæ, de purgantium in febribus acutis usu, orgasmum quadrare, & vox raro (c) docet, ac quod alibi (d) *plurima non turgere,* dicantur. Est vero summopere dolendum, præclaros hos Hippocratis aphorismos interpretatione falsâ plures, a Galeno seductos, doctores adeo confudisse ac corrupisse, (e) ut in eadem fere penitus fallant, & vix locum amplius inveniant.

(a) S. IV. aph. X. Vol. I. p. 83. confer. S. I. aph. XXI. p. 71. de Hum. III. 84. p. 319.

(b) L. II. Epid. S. III. 83. Vol. I. p. 700. Scopi L. IV. Epid. XXI. 8. p. 758. Hyles L. VI. Epid. S. II. 68. p. 802. *qui brassicam comedit VII. die.*

(c) S. I. aph. XXIV. Vol. I. p. 72.

(d) S. I. aph. XXII. p. 71. de Humor. I. c.

(e) confitente River. Prax. L. XVII. S. II. C. II. f. 513.

§. III. Vocem enim *ὄγκωσ*, alieno plane sensu, *ad mine-  
ra febrilis in venis* (seu ipsa massa sanguinea) *magnitudinem & hinc*

819

8 A

MOIU

motu vehementi ab uno loco in alium agitationem, commentatores detorquent (a) Adeoque dicti orgasmi signa proponuntur, (b) ut ager in variis partibus dolores leves ac fugaces & admodum mobiles percipiat, in facie, aliisque corporis partibus, varias coloris mutationes patiat, ut aliqua parte nunc rubeat, nunc palleat. Item (c) pro signis orgasmi requirunt (1) ut motus sit in toto corpore, vel principalioribus partibus, vehemens; (2) ut ager ex inordinato illo motu varias sentiat molestias. (3) ut nondum firmam stabilemque  $\rho\sigma\tau\eta\nu\ \nu\alpha\iota\ \sigma\acute{\alpha}\sigma\omega$  habeat humor ad unam partem; cum is quiescenti, ac impacto in aliqua parte, opponatur; (4) ut ager angustias & anxietudines sine manifesta causa sentiat. Hinc etiam phrenitis (e) à quibusdam ab orgasmo deducitur, ut purgancia semper indicet, de quo tamen etiam adhuc dubitare licet.

(a) Heurn. in Hipp. L. I. aph. XXII. p. 70. 71. & L. IV. aph. X. p. 220. River. Instit. L. V. P. I. G. II. G. IV. f. 158. Prax. L. XVII. S. II. C. II. f. 515. Viscerus in aph. Hipp. p. 82.

(b) a River, Prax. I. c. sicut etiam C. III. Obs. LI. f. 597. observatione, sed extra febrem, declaratur.

(c) ab Heurn. in Hipp. L. IV. aph. X. p. 220. & LX. p. 276. Quo etiam Sennertus Institut. L. V. P. II. S. I. C. VI. p. 1123. inclinatur.

(d) Falsæ huic interpretationi fortassis ansam dedit, male intellectus textus Hipp. de int. affect. L. Vol. II. p. 259. Cum bilis & pituita mixta fuerint in corpore, fluunt in ventrem & cum in ventre congregata fuerint, (non in toto corpore) attolluntur, ac sursum ac deorsum discurrunt, velut unda, & rigor ac febris corripit, & dolor in capite consistit, & cum dolor circa viscera consistit, suffocationem inducit, aliquando vero vomit pituitam acidam quandoque etiam salisam, & postquam evomuit, os amarum ipsi esse videtur; verissima quidem orgasmus cujusdam historia.

§. IV. Secundum quæ in febribus continuis & acutis artuum, & in specie furarum, dolores (a) orgasmum significarent & catharsin propter hunc indicarent. Verum puerperæ (b) dolores quoque omnium artuum erant, adeo, ut ipsos ne quidem attingere liceret; præterea comitabantur eorundem tremores, aurium tinnitus, cardialgia, suffocatio, cujusdam, in ventre rupti, sensus, furarum dolores, qui, sine critica ratione desinentes, phrenitin ferebant. Nihilominus in eadem purgantis usum & dejectiones, brevis quidem resipiscentia  
sed

sed hinc etiam brevi, pro more solito, mors sequebatur. Pariter (c) equisoni quadrato, ex pleuro-pneumonia acute febricitanti, cum dorsi furarumque doloribus, exhibitum purgans delirium exacerbare, morbemque accelerare, videbatur. E contrario (d) in factoris famulo, a vehementissimo purgante, chirurgi castrensis, artuum dolores magis superveniebant, qui, febricitantæ juncti, purgantibus omis- sis, sudoriferis volatilibus & pulveribus anodynis mineralibus, simulque diaphoreticis, magis oprato curabantur.

(a) docente Hipp. L. I. Præd. V, 3. Vol. I. p. 474. *mentem emoventes.*

(b) referente L. IV. Annal. Præd. f. 530. Anno 1684. mense Martio, in quam simul, quæ Hipp. L. I. de morb. mul. LXIII. Vol. II. p. 454. jungit conveniebant.

(c) referente L. III. Annal. Præd. f. 191. Anno 1698. mense Augusto.

(d) refer. L. V. Annal. Præd. f. 369. Anno 1698. mense Januario.

§. V. Falsam igitur Hippocratici orgasmis hanc interpretationem praxis ostendere videtur, *optimus ejusdem voluminis interpres & commentarius.* (a) Haud secus etiam, eandem, ab Hippocratis sensu longe alienam, declarat alius ejusdem aphorismus, sic habens: *Pregnantes medicamentis purgare oportet, si turget, IV. mense usque ad VII. Juniores autem & seniores fetus vereri oportet.* Jam in prægnantibus extra febres, neque minera febrilis potest in earundem venis hæerere, quæ turgeat, purgantiumque in gravidis tempestivus usus alios longe casus, diversaque signa, offert. Nimirum, ipso confitente Riverio (c) graviditas quidem, æque ac febris, purgantia per regulam prohibet, quæ tamen, indicatione contraria, orgasmus, complicatus, urget; cum scilicet *excrementorum*, seu potuvis crudorum humorum *in prima regione cumulat a copia*, ventrem distendendo, *fætum suffocare*, atque, uterum comprimendo, expellere, hacque ratione *abortum provocare*, minatur. Quod ipsum Heurnius, in hoc aphorismo agnoscens, (d) *secus*, ac in illo, vocem *δὲ γὰρ* vertit, *si humor sit efferus*; quanquam, ob semel conceptum præjudicium, neque hoc loco Hippocrati satisfaciat.

(a) ve-

(a) verissime docente Baglivo L. I. Prax. Med. C. VIII. §. IV. p. 46.

(b) S. IV. aph. I. Vol. I. p. 82. (c) Prax. LXV. C. XVII. §. 478. (d) p. 210.

§. VI. Deckerus (a) itaque præclare monet, vocem *ὄργαν* in quibusdam Hippocratis exemplaribus verti, si suo pte impetu humor ad excretionem feratur. Et Sennertus (b) in turgente materia, purgationem indicante, non tantum promptitudinem ad motum in partem principem postulat, sed etiam inclinationem, exeundi e corpore, requirit, que in acturventibus ad partem aliquam sepe desit; ut ipse Hippocrates quoque passim (c) inculcat. Magis adhuc hæc elucidat sensus vocis *ὄργαν*, ab Hipp. alibi (d) usurpatæ, quam, in eundem textum commentans, Galenus reddit, si ad excretionem festinet pars (e). Est quippe vocis hujus communis, & maxime commoda versio, Scapula & Schrevelio docentibus, exitum cum impetu appetere; quæ sane Hippocratis sensui, de orgasmo, in febribus & gravidis purgantia urgente, quam optime convenit.

(a) in meth. med. p. 297. (b) Instit. L. V. p. ll. S. I. C. VI. p. 1123.

(c) S. I. aph. XXI. Vol. I. p. 71. *Quæ ducere oportet, quo maxime repunt, eo ducere oportet, per convenientes locos, seu vias de Humor. I. p. 315. Ferocitas & impetus humorum ducendus est, qua repit, per convenientes ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit. II. 48. p. 316. Quæcumque circumstantur ferendi facilitatem contemplari oportet, itemque difficultatem. III. p. 317. Quæ per alvum egeruntur, qua repunt.*

(d) de fract. XXX. 15. Vol. II. p. 739.

(e) non tam pars, quam synovia. Confer. Merclin, in not. XVII. ad CVII. Pandolph. de ventositare spinæ p. 296.

§. VII. Confirmat hæc ulterius plurimorum aliorum Hippocratis locorum (a) accuratus consensus, tempestivum purgantium usum, in similibus februm acutarum casibus, docens; in primis vero de vet. med. hæc (b) legantur: *Itaque cum amaritudo quadam diffusa fuerit, quam bilem flavam appellare solemus, quales statim anxietates, & astus, & impotentia occupant; verum ubi ab illa liberati, & purgati fuerimus, aut sponte, aut per medicamentum, si modo tempestive quid ipsorum fiat, manifeste & a caloribus & a doloribus liberamur. Quanto autem tempore fuerit eadem elevata, & cruda, & meraca, ac intemperata, neque dolores, neque febres arte ulla sedare potes. Et quomodo...*

quidem (ὀξύτατες). acres acres ac eruginosi assignunt, quales mor-  
rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio. Non sedan-  
tur autem hæc, priusquam iidem excernantur, & prosternantur, &  
aliis permisceantur.

(a) L. II. de morb. LIII. Vol. II. p. 79. LXVI. p. 90. LXXI. p. 93.  
LXXII. LXXXIII. p. 95. L. III. de morb. XXII. p. 112. de int. affect. L. p. 257.  
de vult. acut. XLIV. 4. p. 304. L. p. 309.

(b) de vet. med. XXIV. Vol. I. p. 33. verba certe cedro digna.

§ VIII. Secundum hæc organismus vero non solum de  
bilis amara (a) in ventriculo redundantia, sed etiam de pituito-  
farum & acidarum cruditatibus, in primis viis luxuria est acci-  
piendus, præeunte Celso (b). Quod etiam cum Brasavola  
monet Deckerus. (c) Vix humanorum igitur ingeniorum  
imbecillitatem satis admirari licet, ac quisquis ex aliorum  
suam agnoscat; quomodo scilicet ex ipsa doctores, etiam  
clarissimos, præiudicia subinde confundant, ut veritatem,  
quæ tamen ipsis patet, non valeant amplecti. Quod exem-  
plo suo hic Riverus, Professor eruditissimus, Practicus ex-  
perientissimus, excellentissimique iudicii medicus, abunde  
nobis ob oculos ponit; dum non solum cum Zechio, fimi-  
lem (d) huic nostræ, scripta Hippocratis interpretandi, me-  
thodum, copiose docet; sed in febribus acutis etiam purgan-  
tia, tanquam vere Hippocraticis *πρὸς ζευκνωσας*, non, nisi or-  
gasmici casibus, admittit; at tamen, Galenico præiudicio delu-  
sus, illum assequi neutiquam valuit, cum tamen is vix com-  
modius explicari possit, quam qualis ab ipso, (e) non expres-  
sis quidem verbis, sed genuino sensu, rectissime proponitur.

(a) quo tamen River. Instit. L. V. P. I. S. II. C. IV. f. 158. inclinat.

(b) qui de re medica L. III. C. VIII. f. 135. tantum, si pituita in stomacho  
coitit, vomitum in ardentibus febribus admittit.

(c) meth. med. p. 274. 262. 340.

(d) River. Prax. L. XIV. C. II. f. 421. Zechii verba hæc de alio quo-  
dam Hipp. aphorismo leguntur: *Quos ita, ut non possim non valde Galenum,  
tantum virum, & alios omnes scriptores post ipsum admirari, quippe qui, tan-  
ti momenti ad medicinam faciendam, aphorismum vel non intellexerint; quod  
quidem vix adduci possum, ut credam, vel saltem ob aliquam in eo ambiguita-  
tem dissimularint.* Quibus Riverius subiungit: *Hoc unice statueris, pro  
svriticarum dissensionum omnium resolutione, autorum sententiis, quæ prima  
fron-*

fronte veritati ac experientia quotidiana contrariari videntur, ad eum perpetuo sensum esse retrahendas, qui veritati magis conformis & consentaneus est; etiam si termini sententiarum eum sensum pati non possint, qui tali casu censendi sunt suppositivi. &c.

(e) Prax. L. XVII. S. II. C. II. f. 513. Si materia, inquit, in prima regione contenta, plurima sit, ut febrim augeat, naturam gravet, materiam, in venis contentam, a concoctione avertat, purgantia, primam tantum regionem evacuantia, exhibeantur. Confer, etiam S. III. C. I. f. 541.

§. IX. Quid, quod, laudatus scriptor l. c. præ aliis ita de republica medica in hoc arduo negotio meretur, ut orgasmum Hippocratis, ad ipsius plane doctrinam, signa denominet, anxiam jactationem seu inquietudinem, nauseam, oris amaritudinem, ventris murmura & tormina, sitim, stomachi dolorem, alvi fluxus. His addi debent convulsiones sympathicæ, ut hystericæ, & ex dentitione infantum difficili, singultus & icterus. Quæ singula fusius explicare, Hippocratis pluribus locis parallelis comprobare, ac observationibus practicis, elucidare, res quidem foret, medica praxi dignissima, utilissima, maximeque necessaria; verum hæc ipsa, jam elaborata, prætermittere, consveta dissertationum angustia imponit.

(a) Confer. Hipp. de vict. acut. XII. 10. Vol. II. p. 277. XXXIV. 13. p. 297. XLI. 4. p. 202. L. 4. p. 309. L. II. de morb. XXXVI. 16. p. 63. L. III. 14. p. 79. River. Prax. f. 513. 518. Sylv. Prax. L. I. C. XXXIII. n. 14. p. 569.

§. X. Sufficiat igitur anxiam jactationem penitius jam, quasi exempli loco, excutere, utpote orgasmum, crudorumque humorum, in primis viis per febres redundantium, fere potissimum, & ab omnibus scriptoribus receptum ac comprobatum, signum. Eorundem in ipsa plane corrosivum & acerrimum *acorem* Hippocrates expresse loco citato, (3) inculcat; qualis ventriculum & ipsa intestina, vel ipso ani orificio docente, corrodit; quem quoque ipsis facile naribus offerunt copiosæ dejectiones æruginosæ, tenellos etiam infantes, cum doloribus acerbissimis & convulsionibus, exercentes, ut calcitent, & quasi anxie se jactent; Quem denique notissima probant experimenta, evincuntia, quod acida quævis bili similem æruginosum contrahant colorem. Quamobrem Cous ibidem hanc insignem apponit notam, neque dolores illos colicos

ventriculi, anxietatem & inquietudinem ferentes, neque *febres* (NB.) *arte ulla*, ullove medicamento, nobilissimo aliaſ & probatissimo antiſpaſmodico, propter ejuſmodi acrium humorum nimiam copiam, *ſedari*; niſi prius maxima illorum pars per catharſin fuerit *excreta*, ut hinc reliquiarum acrimonia nervinis aliisque alterantibus *temperari*, corrigi & ſuperari poſſit: Alias enim metus eſt, (b) *ne feri* & acerrimi humores illi, ad maſſam ſanguinis delati, periculofis metaſtaſibus, illam genusque nervoſum inficiant & corrumpant, hincque laudabiles criſes, maxime ſudorum, cohibeant; unde (c) *perfrigerationes, deliria & convulſiones* ut plurimum ægros in mortem adducunt.

(a) de vet. med. XXIV. Vol. I. p. 33.

(b) ut River. inſtit. L. III. S. III. C. II. f. 85. indigitat.

(c) ſecundum Hipp. de dieb. judic. III. Vol. I. p. 433. L. I. Præd. VII. 14. p. 475. Coac. I. 2. p. 522. ibid. 60. p. 525. 118. p. 528. de int. affect. LI. Vol. II. p. 258. de vict. acur. XLII. 19. p. 303. XLV. 7. p. 305. Sennert. L. I. Prax. P. II. CXXIII. p. 482.

§. XI. Neque vero hæc ſola Hippocratis autoritate, aut ſingulari ejuſdem ſolius, nituntur experientia, quam ante ipſum nemo unquam obſervavit, & fortassis etiam poſt ipſum, obſervabit. In hoc certe muſtaceo Coſus parens, ejuſque imitatores, laureolan non quaerunt; ſed quo communi- or, quo magis quotidianæ reſpondet praxi, & univerſalis eſt, experientia, eo magis illa præferatur, maximique fiat. Quot *opinionum*, plane ſingularium, *commenta dies* jam *delevit* & futuriſ adhuc ſæculis *delebit*; cum Hippocratica, ipſius *natura, judicia, non dies, non annus, nec unum, ſed plurima ſæcula confirmarint*. Firmiſſimam igitur talem Coſi experientiam de purgantibus, in anxia jactatione ut plurimum utilibus, imo neceſſariis, omnes conſummatiſſimi doctores medici comprobant. In quibus jam ſaltem nominare liceat Fernelium (a) & Riverium (b) Regum Galliarum Archiatros & Academiarum ſummos Profeſſores; Et mullerum, (c) ampliſſimæ urbis Lipſiæ Medicum pragmaticum feliciffimum, doctiſſimumque; ac denique noviſſimum Baglivum, (d) Pontificis Maximi Archiatrum, Archilycei Romani Profeſſorem, & Societatis Regiæ Bri-



Britannicæ & Academ. S. R. I. Curioforum socium celeberrimum; sicut his quoque speciales fide dignissimorum scriptorum observationes astipulantur.

(a) secundum quem L. III. method. med. C. III. *ventriculi quavis illuzies commodissime per vomitum expurgatur, quæ interdum medicamentis per inferiora purgantibus, etiam pluries exhibitis, deturbari nequeat. Cum non raro materia, per vomitum rejecta, febrem ab initio tollat, quæ alioqui longa (imo lethalis) futura esset, illa materia penitiores in corporis partes transmissa & sanguini permixta.*

(b) vide Prax. L. XVII. S. II. C. H. f. 513. & instit. L. V. P. I. S. II. C. IV. f. 159. ubi hæc habet: *Quando humores crudi primarum viarum in febribus copia luxuriant, ideoque commode coqui nequeunt; eorundem portio catharsis detrahatur, ut natura, oneris portione liberata, quod reliquum est, facilius expellat, & superet. Neque pericula, quæ contra in medium afferri solent, admodum reformidanda sunt. Quæ evitare facillimum est, si benigniora medicamenta (quale aurum fulminans est, non autem extractum hellebori aut resina scammonii) usurpentur. Quæ sine ulla, aut saltem cum minima, humorum commotione primam tantum regionem expurgent, eamque materia portionem educant, quæ magis evacuationi est disposita.*

(c) P. II. de febr. malignis f. 375.

(d) Cujus L. I. Prax. CXIII. p. 121. hæc sunt verba: *Febrium cum magna syncope (ac perfrigerationibus,) singultu (spasmisque colico hysteris) & vertigine mox incipientiam, curatio inchoanda est statim vomiteriis; nam febrilis fomes in ventriculo latet; humor scilicet acris ac erodens, qui, tunicas ventriculi vellicando, & afficiendo, per consensum cor, diaphragma & caput offendit, unde præfata symptomata &c. In febribus, in quibus, cum magna anxietate incipientibus, ægri sunt inquieti, loco stare nesciunt, hinc inde per lectum agitantur, præfatus acris humor tunicas ventriculi afficiens, debet accusari unde tot mala. Unicui remedium in talibus anxietatibus vomitivum est antimonial, (longe profecto præ auro fulminante vehementius.) Nam, absoluto vomitu, statim liberatos vidimus. Fidem autem in talibus scriptor hic eo facilius meretur, quod is alias purgantia pasim, etiam in febrium principio, fere simpliciter rejiciat, neque solis excretionibus indulgeat.*

(e) River. C. I. Obs. XLV. f. 564. C. III. Obs. L. f. 623. Zech. Conf. XLVI. Thoner. L. I. Obs. XIX. p. 34. Obs. XXXV. p. 53. Obs. XXXIX. p. 59.

§. XII. Præjudicio igitur, nescio, quo, asseverare quis possit, virginem illam, quæ per febrem anxie se jactavit, cujusque historiam proœmium attingit, auri fulmin. gr. iv. die tamen II. exhibita, ut intempestivum vehementiusque purgans, viribus omnibus mox destituisse; ab hacque causa

mortem (IV. tamen die demum posthac) supervenisse. Secundum artis nostræ regulas in eodem casu purgantium usum non omitti potuisse, paragraphus, huic proxime præcedens, evincit. Aurum fulminans, propter ejusdem, blandissime alvum laxandi, morem, & quidem virtute antepileptica, cordiali & diaphoretica conjunctum, præ aliis omnibus convenientissimum tutissimumque medicamen, prooemium jam defendit; prætereaque observationes cap. seqv. recensendæ, ostendent. Neque vero (a) tres tantum dejectiones, & unicus vomitus, secundum quotidianam experientiam, præsertim mox in morbi principio, & in virgine 19. annorum, præterea satis pulchri roboris, possunt vehementis catharseos accusari, quæ convulsionum, (b) mortisque ipsius causam, ob vires, hinc plane prostratas, præbuisset. Imo potius, cæteris paribus, hæc magis haberi posset, quod mihi non licuerit Elix. Castor. volat. (c) sudores movere, sanguinisque malignam coagulationem (in talibus casibus per observationes anatomicas) (d) ipsis oculis usurpandam) infringere, motusque convulsivos ipsos sedare.

(a) Willis pathol. cerebr. C. IX. p. 149. recenset, *virginem nobilem* (æque non rusticam & quadratam) 16. annos natam, pulchram & εὐσχαρον, patre in super paralytico progeneram, circa brumæ etiam solstitium (non levioribus, sed longe gravioribus) convulsionibus oppressam, vomitorio fuisse curatam, ex infusione croci metall. & sale vitrioli, a quo septies bilem, (ut in nostra) æruginosam evomisset, cum admisione humoris acerrimi, & quasi vitriolici. Quid, quod, in atrociori morbi recidiva, subjungit idem, se fortius adhuc emeticum propinasse, a quo decies evomisset bilem, instar æruginis viridescentem, cum pituita, instar aque fortis acerrima, & subito fuisse alleviatam. (non vero, viribus prostratis, defunctam. Quæ similitudo circumstantiarum omnium major cum casu virginis nostræ potest intercedere? Sicut etiam in eadem a vomitu anxia jactatio, lumborum capitisque dolor & perfrigeratio convulsionesque æque mox remittebant.

(b) A criticis perturbationibus morbos exacerbari, vel etiam turbas aliquas in primis viis a catharticis excitari, neque insolitum est, neque peritum medicum terret; secundum Hipp. S. ll. aph. XXXVII. Vol. I. p. 74. ficut ipsa natura, non sine perturbationibus & exacerbationibus, mineram febrilem, salutaribus tamen crisis, excernit. Hinc etiam periti medici ex iis magis reconvalescentiam promittunt, quam ex suspectis dierum criticorum,

cerum euphoris, aut plane *soporibus*, Hipp. *ubique malis*. A quibus tantum imperiti medici, contra regulas artis maximam spem pollicentur, sed quam brevi falsam experiuntur. Convulsionem autem, vomitoriis & catharticiis potius curatas, & quidem in tenellulis etiam in fantibus, vitriolo albo, docent River. Cent. II. Obs. LX. f. 599. C. IV. Obs. LIX. f. 645. Plater. L. I. Obs. d. 188. Etmullerus autem non sine ratione in valetud. infantum, pro spasmodis horum curandis, aurum fulminans reliquis purgantibus præfert.

(c) Etenim sudores, in tali casu anxietatum movendos, suadet Thon. L. I. Obs. XXXIX. Sic quoque River. Cent. III. Obs. XXXVI. f. 621. recenset, in ancilla, per febrem malignam, debilitata, nitrum, ad drachmam unam tamen bis in die sumtum, nihil profuisse, contra, sudore, promotum a spiritus (alcalini volat.) fuliginis, primo drachmis duabus, hinc tribus, (non guttis tantum 20. 30 minime mox exspirasse,) sed symptomatibus illis remittentibus, reconvaluisse. Secundum quarum analogismum mihi haud exprobari potest quod in laudata virgine, præsertim ob junctas perfrigerationes, nitrum omiserim ac Elix. vol. castor. cum spirit. volatili paratum, prætulero. Præsertim cum ab eodem, referente L. X. Annal. Pr. f. 474. in eadem virgine, tum morbilis malignis laborante, præsentaneum fuerim levamen expertus, cum diei VII. critica perturbatio similes dolores spasmosque ferret; Neque minus, referente f. 499. maritata soror hujus ope affectum eundem felicissime superabat. (d) Spigeli, quas recenset Bonet. Anat. Pr. f. 684.

§. III. Equidem huic orgasmi explicationi Hippocrates ipse refragari videtur, crudis etiam humoribus primas vias occupantibus, purgantia tamen prohibens. (a) Quibus etiam Baglivus præclarum quasi commentarium scribit, (b) his verbis: *Dicunt nonnulli, necesse purgantia in februm principio esse exhibenda, ut educantur cruditates e primis viis, ibidem a cibus, nimia copia ingestis, cumulatæ, & insignem morbo fomitem subministrantes. Sciant hi tamen, cruditates primarum viarum sponte sua digeri, vel potius per medicamenta stomachica, non vero per imprudentem cathartorum usum; quibus in massam sanguinis magis magisque insinuantur, morbumque aut augent, aut fovent, unde ne quidem in hoc casu in februm principio purgantia juvant.*

(a) S. VII. aph. XVII. Vol. I. p. 83. Non, nisi sine febre existenti, cibi fastidium, & cardiognos, & vertigo, & os amarescens, medicamentis, sursum purgante, opus habet, & aph. XX. q. 84. Non febricitibus si fiat tormen & genuum gravitas, & lumborum dolor, deorsum purgante opus habere significat. Confer de veratr. usu. 10. Vol. I. p. 610. & 39. p. 611. L. I. Præd. IX. p. 476. L. V. Epid. XXV. 12. p. 787. de affect. XIV. 12. Vol. II. p. 169. de vict. acut. LXIII. p. 319. (b) L. I. Prax. Med. C. II. §. IV. p. 256.

§. XVI,

§. XIV. Quæ conciliantur, respondendo, (1) unum & alterum propositorum orgasmi signorum, v. g. cibi fastidium & oris amaritudinem, in febribus acutis pro catharsis indicatione, haud sufficere, sed vota plurium, simul concurrentium, esse colligenda; ut eorundem pluralitate ponderari possit, num crudos humores primarum viarum, num vero alios potius morbos, ut causas suas, significant; sunt enim signa unica pathognomica in medicina rarissima. Quomodo gravissime peccaret, qui purgans in quavis siti febrili, ab inflammatione aut gangræna, ventriculi sive pulmonum, auderet exhibere; neque id vereretur in anxietate, per mediam difficilem eruptionem, aut plane in recursum variolarum, morbillorum, purpuræ, aliorumve abscessuum criticorum. (2) Hæc ipsa symptomata, præter eorundem pluralem concursum, quadam vehementia simul excedant, ut crudos humores, maxima copia luxuriantes, significant; quam propter & ipsi commode coqui ac superari nequeant, & coctionem febrilem omnino impediunt; tum demum enim eorundem portio catharsi detrahatur. Hæc enim fert vocis *δὲ γὰρ* emphasis, (a) quam Persius Latina voce *turgescit*, exprimit, ita canens: *turgescit vitrea bilis*. (3) Willis (b) rectissime vehementia cathartica, quæ magis in his casibus rejicit, a mitioribus distinguit, quo aurum fulminans pertinere, manifestum est. (4) Purgantia (c) longe minus a febrium principio, quam augmento & statu, prohibentur, magisque admittuntur, licet in ipsis secundum regulam sint intempestiva.

(a) Satyr. III. confer. *Senn. Instit. I. c. p. 1119.*

(b) de febr. C. X. p. 177. helleborina sciicet, quæ etiam Hipp. locis citatis innuere videtur.

(c) Hipp. S. II. aph. XXIX. Vol. I. p. 74. *Incipientibus morbis si quid movendum videtur, move, vigentibus vero morbis, quietem agere melius est.* Confer. de affect. II. 16. Vol. II. p. 162, de affect. XIV. II. Vol. II. p. 169.

§. XIV. Inter dicta orgasmi signa obstructions alvi primum sibi locum vindicare, quis putet, quantocyus medicamento purgante, vel fortiori, solendas. Quas etiam multum incusant, quando alvus non quotidie semel aut bis exone-

ratur, etiam si flatus, liberrime transeuntes, eandē satis apertam testentur, imo secundum consuetudinem precedentium & sanorum temporum agris hæc obtingant. Sed, quantumvis in febribus acutis alvum, præsertim tres quatuorve dies, obstrui, non affectem, & tum eandem auro fulminante, vel oleo amygd. dulc. aperire, sæpe laborem; attamen sæpius etiam octo dierum alvi obstructionem, cæteris paribus, minus nocuisse, & ea non obstante, ægrotos æque reconvaluisse, me docuit experientia repetita. In aliis (a) Protosecretarii Regii filiolarum, annorū febris die III. purpura erumpebat, una latissima continua rubedine digitos manusque obducens. Qua, post diei VII. sudorem calidum, capitis quidem tantum particularem, (b) sed cum euphoria, critice disparente, quasique desquamata, die VIII. demum alvus, integrum ostiduum obstructa, auri fulmin. gr. duobus solvebatur blandissime. Quod etiam in anginosa grava, (c) febre petechiali-purpurata decumbente, contingit observari.

(a) refer. L. VII. Ann. Pr. f. 711. Anno 1700. mense Septembri.

(b) Sic subinde critica evacuatio, uno etiam 4. signorum laudabilis crisis deficiente, tamen adhuc quodammodo salutaris esse potest; ut sudor particularis capitis, præsertim calidus, die modo critico, longe melior sit, quam die pari vacuo, ut tum duo vel plura signa laudabilia desint; quantumvis Heurnius contraria tradat.

(c) referente L. VI. Annal. Pr. f. 597. Anno 1699. mense decembri, cujus quoque mentio fit in disput. nostra de V. S. intempestiva in phrenitide.

§. XV. Etenim e contrario eadem me confirmavit experientia, sæpe in febribus superfluas alvi apertiones, vel solis enematis (a) tentatas, damna irreparabilia & unicam mortis, subsequatæ, culpam contraxisse. Quod usu venit, bubonibus erysipelaribus, variolis, morbillis, petechiis, purpura, utpote criticis transpositionibus, difficulter per augmentum statumve febris erumpentibus, & recursum symptomaticum minantibus. Ut de his, præsertim admodum malignis, proximeque pestilentibus, cum Sennerto (b) dici possit, esse nonnulla, quæ majorem ad prohibendas in febribus purgationes, quam humores turgentes ad eas præcipiendas obrineant. Sed de his fortassis alibi plu-

C

plu-

Plura dicentur, sicut hæc unica cautela, de clysteribus intempestivis, Deo dante, peculiarem dissertationem complebit.

(a) Hippocr. L. III. de morb. VI. Vol. II. p. 100. *In caufa ( seu febre ardente acuta) neque purgans dederis, neque ad purgationem faciendam clysterem adhibueris, priusquam judicationes pratercant.*

(b) Instit. L. V. P. II. S. I. G. VI. p. 112.

CAP. II.

Historiis ægrotorum elucidat.

Aegr. I.

**E**Xcepto igitur casu orgasmis, mea quoque praxis in febribus purgantia & laxantia proficua, sicut alias e contrario nocua, comprobatur. Vidua juvenis 24. annorum (a) ex occasione iræ cum horrore, hinc calore acuto, febricitare cœperat; eandem simul exercebant artuum omnium dolores spasmodici, dextri lateris hemicrania, ex cervice incipiens, temporibusque intactis, ad dentes usque excurrens; quæ singulis diebus, per paroxysmum unius duarumve horarum, atrocius exacerbabatur. Hanc ante paucos annos, paroxysmis epilepticis afflictam, curaveram; attamen per hos capitis doloribus admodum obnoxia vixerat. Abdomine autem jam inflato, venter quoque murmurabat, urina tenui rubra; quamobrem a pilulis domesticis die II. ter dejecerat, sed paucæ sanguinis stillæ è naribus, hoc die pari, male significabant. Pulveres igitur meos cinabarinodiaphoreticos & Elixir Castor. cum Spir. C. C. vinoso paratum, bis singulis diebus ad g. 60. usurpandum, exhibebam. Diei III. nocte quidem, adhuc inquieta, somnum, expavescentiæ crebræ turbaverant, sed urina cœperat crasse corallinolimosâ turbari, a largis sudoribus buccæ tumor, quasi a dentibus dolentibus, apparebat, artuum dolores cessabant, capitisque, magis externus, in cute hærebat, quasi ab erysipelate extraverso. Cum die IV. dysphoria longe minor adhuc fuisset, capiti dolenti mater cephalicas herbas, aqua vinosa madefactas, imposuerat; unde dolor ejusdem penitus desierat, sed exinde loco hujus lipothymicæ cardialagiæ oppresserant, & latus, tantum

tum sinistrum, totum cœperat perfrigerari. Ab usu autem Elix. Castor. vol. quo plus cardialgia remiserat, eo magis cephalalgia recruduerat, cum euphoria tamen; præsertim cum sudores, totam noctem frigidi, die V. mane recalescere cœpissent, semper tamen circa caput adhuc tepidiores. Quibus igitur per diem hunc criticum continuantibus, anxietas cardialgica, internusque ardor, remittebant, ventre murmurante, sed non flatibus prodeuntibus. Die VI. a nocte, haud infomni, cum minori dysphoria per nares magna mucii copia, fluebat, perque os exscreabatur; sed post meridiem atrocissima cephalalgia repetebat exacerbatio, unde nox quoque infomnis & gravis terruerat. Die vero VII. a sudore largo hæc symptomata & dysphoria remittebant; quamobrem, pulveres nauseanti, Essentia Chin. Chin. locoque Elix. Castor. vol. tale succini exhibebatur. Dies VIII. noctem haud infomnem, & euphoriam ferebat, cumque urina, fere naturali, appetitus quoque melior laudabatur. Die IX. post noctem pariter quietam, cum urina tenui mane horrores, oscitationes, pandiculationes, sternutationesque supervenerant, hemicranicus dolor ex dextro latere in sinistrum transierat; sed hinc, a sudoribus repetentibus, hæc mala post meridiem remittebant, præsertim illis per integrum diem continuis. Licet autem ægrota hos a medicamento volatili recalescere observaret, attamen quamprimum levissime manus denudabat, horrores opprimere sentiebat. Dies X. noctem quietam, urinamque turbatam ferebat, sed cum expavescentiis somnolentia, & coma quasi vigil, notabatur. Post meridiem quoque respiratio anghela, brevis & anxiosa, & suspiria luctuosa, (Nrehsen) cum capitis tamen dolore mitissimo, perturbationem criticam denotabant. Cum igitur ægrota brevi tempore lectum reliquisset, lipothymia cardialgica & suffocatio hysterica oppresserant, ventris quoque inflatio et tormina, cum corporis universi perfrigeratione, extreme debilitarant; ægrota igitur, medicamentum hæc imparia judicans, sera nocte rursus Elixir Castorei vol. à me peti curaverat; utpote cujus usum aliis, etiam Succin.

vol. præstantiorem observasset. A quo igitur, cum pulveribus novis cinnabarinis, misso, sudor multus calidus promotus, mox cardialgicam anxietatem, ventris tormina, ipsamque perfrigerationem solverat. Hinc die XI. cum urina, crasse rursus turbata, capitis dolor minor, & tantum foris ad tactum in cute deprehendebatur. Die XII. præter noctem quietam & euphoriam non solum ex nare dextra, ut antea, sed etiam sinistra, larga mucii copia fundebatur, & aliquot parvuli sanguinis grumuli ex ipsa excernebantur; unde, cum urina quidem tenui, febris declinabat. Die XIV. non corpus, neque oculi, sed ambæ tantum manuum volæ, velut ab ictero, flavescabant; quomodo perfecte judicata, reconvalefcebat.

(a) referente L. XI. Annal. f. 535. A. C. mense 8br. Casus hic febris acutæ eadem, ac in laudata virgine, symptomata hysterico-spasmodica, cum lipothymiis & perfrigerationibus, simul ferens, fati ostendit, (1) à tribus dejectionibus, mox in febris principio, urgente orgasmo, non mortem successisse. (2) Perfrigerationes & convulsiones magis Elix. Castor. vol. suisse feliciter curatas.

Aegrot. II. J. U. Professoris filiola, (a) nondum trimestris, febricitabat, cum spuma oris pedibus calcitrans, ventris tormina detegabat, alvus æruginosa multa, lactis coagulati grumulis permixta, deiciebat. Die IV. post enematis infusionem paroxysmus epilepticus cum oris spuma, labiorum livore, pollicum contractionibus ac duobus vomitibus oppresserat. Pulveres itaque cinabarinos, intercalandum, Elixir Castorei volatile (b) succenturiabat; quod Domina mater, olim in patria essentia castorei assueta, ad guttas duas singulis fere horis exhibebat; unde, paroxysmi epileptici tempore, pauci saltem vomitus supervenerant. Die V. ventris tormina flatus solvebant, & variolæ fatuæ per brachia & crura erumpere ceperant. Die VI. præter dictorum medicamentorum, usum continuandum, præscribebatur cranii humani pulv. scrupulus unus auri fulmin. granum unum. M. fiat pulvis, in 4. partes æquales dividendus. A cujus prima infans miseris clamoribus atrocia ventris tormina significabat: sed hinc post largum sudorem nocte semel æruginosa, aceti quasi aco-

107

rem



rem spirantia, insuperque clystere infuso, mucosa multa dejecerat. Q. omodo, à die VII. dysphoria decrescente, die IX. infans convalescere cœperat.

(a) Referente L. XI. Annal. Pract. f. 485. A. C. mense Julio. Casus hic, pariter febris acutæ, in tenellulo infante, ad oculum ostendit, sæpius à clysteribus, aliisque optimis medicamentis, non propter vehementes dejectiones, aut vomitus subsecutos, exacerbationes & convulsiones supervenire; neque quod iis, ut causæ, debeantur, sed quod alias immineant.

(a) Vomitus nec equinum robur postulare, neque in spasmis nocere, sed magis prodesse, ut itaque his mortem haud tam facile accersant.

(b) Multominus vero Elix. Castor. volatile & spiritus alcal. volatiles, tanquam naturæ humanæ graves & vehementiores, esse damnandos, hinc satis docetur. Quamobrem Etmull. Valet. inf. C. III. §. V. *sæpius sum miratus, inquit, à quibusdam medicis, vel præconcepis opinionibus excæcatis, vel experientia medica deslitutis, cum pavore quasi audiri salium volatilium usum, præsertim pro infantum cura; cum tamen (NB.) sub legitimo & circumspccto usu, Deorum manus vocanda eadem existimem;* Longe minus igitur in adultis hæc timeri possunt.

Aegrot. III. Consiliarii vidua (a) 60. ann. laudatæ virginis matertera, die I. ex horrore febricitare cœperat, calorem acutum pulsu vehemente ac vibrante comitante, mistura igitur cum pulv. cinabarinis præscribebatur. Die II. noctis inquietudinem dejectio 'parva', lotii suppressio, sudor nullus & calor acutus sequebantur. R. Antihect. Poter. gr. XV. auri fulmin. gr. iv. M. D. S. Alvo nondum aperta, post meridiem, calor acutus remiserat. R. Elix. Castor. vol. [b] drachm. iii. D. S. ut g. 50. bis singulis diebus sumantur; à cujus primo usu (non autem a sequentibus, fortassis igitur ex nausea) magnam mucii copiam evomuerat, sed cum euphoria. Die III. a sudore, quidem parco, vox, non ut antea, debilis, calorque minor observabatur, urina, antea suppressa, profluxerat & turbabatur, pulsus quoque magis naturalis observabatur. Die IV. cum tussicula mucosa exscreabantur, circa meridiem 4. vomitibus (c) mucosa multa excreverat; quorum duo primi a core summo dentes corruperant, duo posteriores vero nauseabundo amarore os infecerant; unde quidem debillior (d) videbatur; manibus etiam denudatis tepor tantum, imo frigus quoddam, erat. Sed die V. sudor parvus aliquam euphoriam ferebat, quæ, die VII. sudore novo repente, con-

tinuabitur. Qui etiam die IX. magisque adhuc post aliquam perturbationem criticam die XI. fluebat, unde, perfecte iudicata, convalescebat.

(a) Refer. L. X. Annal. Pract. f. 825. Anno 1704. Huic ægrotae, adhuc bene valenti, jam tum cutis vix osibus hærebat, adeoque sicut neque hanc sexagenariam, ita multo minus ægros, ætatis flore utentes, auri fulmin. gr. IV & quatuor vomitus, quid dicam, tres tantum dejectiones & unus vomitus, immatura morte mulstans. (2) Quatuor illi vomitus, ab assumpto auro fulminante, non eodem, sed tertio demum die, succedebant, ideoque non tam huic, utpote alias minime vomitorio, quam spontaneo naturæ motui critico, debebantur; sicut hoc sæpius usu venit, & imperitos fallit. Quomodo Tom. VII. Hal. Obs. III. p. 89. recensui, Ecclesiæ Naumb. pastorem, ex colica apoplexia spuria seu syncope oppressum, copiosum mox vomitum relevasse, à tinctura Solis Langelotti qui superveniebat; qua tamen vix præstantius datur remedium, hypercatharses & vomitus symptomaticos cohibendi.

(b) In febribus malignis, gangrænis, perfrigerationibus & convulsionibus salium volatilium præstantiam demonstrat observatio Charas de nobili Germano, à vipera demorso, in Bonet. Anat. pract. f. 1684. legenda. Conferatur Wedelius amœn. med. L. II. S. II. C. IV. p. 335. Bontekœ von Menschlichen Leben Tr. III. §. 48. p. 408. Ut Boylei, Sylvii, Willisii & Ludovici testimonia taceam. Eandem quoque confirmat hæc ægrota. Quamobrem nobile hoc medicamentum (R. Ess. Castor. Tinct. Reverb. Lil. tartarif. Elix. sucini. vol. cum Spir. unguis aliiis vinoso parat. aa. dr. ß. dof. g. 60.) minime durissimam illam censuram calumniamque meruit in Viro pl. reverendo, ante paucos annos hic defuncto ex febre maligna, cum erysipelate gangrænofo, vereque pestilenti, utpote quod, purpureum, ex suspecto bubone molli & sublivido duabus striis lividis in crus descendebat; sicut pluribus videre licet in disput. nostra de crisi per abscessus C. II. Multo certe consultius hoc medicamentum in illo continuandum fuisset, quam quod topicum muliebri critici abscessus recursum, fere semper lethalem, magis promovisset, & contra quævis medicinæ principia, venæ sub lingua sectæ fuissent, præsertim die VI. ad omnino plenam ejusvis criticæ tyrannidis imitationem, rursusque IX. ipso mortis die, sanguine misso in cochleari mox coagulato. Modo conferantur hæc Loff. L. I. Obs. XXV. p. 74. Bonet. Anat. Pr. f. 160. Wisemanns Chirurg. Anglicæ f. 46. Obs. VI. Hildan. C. V. Obs. XVII. f. 399. Ephem. Nat. Curios. S. R. J. Ann. v. I. Winckleri Obs. XCI. p. 131.

(d) Licet vomitus, modo tempestivi, ut plurimum ægros brevi debilitent; attamen breves molestias felici euphoria, morbiq; solutione, compensare solent.

Aegr.

Aegr. IV Consiliarius Regius, (a) so. annorum, peregre reversus, vesperi horruerat, hinc tota nocte cum acuto calore, parvisque deliriis, anxius se jactaverat. Quomobrem pulv. cinab. diaphoreticum, sibi suisque admodum familiarem, assumserat, sed haud sudaverat. Scarificationibus igitur assuetus, suoapte consilio, decem cucurbitis sanguinem ad uncias iii. miserat coagulatum; Pulverum igitur similia usui Elix. Castar. vol. jungebatur. Die II. nocte inquieta, semper quidem soporosus, sed cum somnis tenuibus, rursus anxium se jactaverat, donec mane à parvo sudore sensus plenus ex somno collegisset; lingua, alba & scabra, posterius ex viridi flavescebat, vox erat difficilis, pulsus debilis, urina tenuis, vires prostratae, ut lecto egredientem lipothymiae opprimerent. (b) R. Antihect. Poter gr. xii. auri fulmin. gr. iii. Diagrid. gr. I. M. F. P. Quo assumpto, post meridiem, jam minus dyphorus, copiosos flatu miserat, & per noctem ter copiose tenuia dejecerat; hinc die III. mane largissimus sudor supervenerat, & cum quieto decubitu atque sermone liberiore sopor remittebat, urinaque turbata sedimentum deponebat, ut die IV. euphoria optata, notaretur. Quae a diei V. sudore, rursus largissimo, augebatur; quomodo perfecta judicatio convalescentiam ferebat.

(a) Referente L. X. Annal. Pr. f. 814. Anno 1704. mense Septembri Sic Hipp. L. I. Epid. S. 111. Aegrot. 1138. p. 674. de Sileno varioloso notat, ipsura *X. die soporosum fuisse, somnos tamen tenues, cum extremitatibus frigidis, XI. mortuum fuisse.* Nos Germani vocamus einen galn! & secundum Hipp. L. I. Præd. l. Vol. I. p. 471. ejusmodi *coma in principio* phrenitidem portendit.

(b) In hoc Domino ægroto auri fulmin. gr. iij. cum Diagridii tamen g. j. acuata, pariter in febris principio, haud nocebant & anxiam jactationem mox solvebant, imo vires recreabant. neque convalescentiam protrahabant.

Aegr. V. Opificis filiam (a) 18. ann. satis pulchram, sed fere semper pallidioris faciei, teneriorisque habitus, à mensium suppressione, præter reliqua ejusdem symptomata, per biduum cum calore tenui vertigo fatigaverat. Die III. cum quadrato Martis & Mercurii, totius sinistri lateris paralyfis, cum oristortura

tura opprefferat. Juxta effentia Castorei cum Elix. volat. Succini usum, cum ægrota, purgantia quævis se semper male tulisse, diceret, (b) auri fulmin. gr. ii. cum succin. præpar. Scr.  $\beta$  præscribentur. A quo semel tantum copiosa vomuerat, & hinc etiam dejecerat, sudor quoque calidus, fere largior in affecto latere, supervenerat. Vesica, Emplastro in brachio excitata, serum etiam profundebat. Die IV. cruri brachioque paralyticis motus suus erat restitutus. Die VI. crus parum intumescens dolere coeperat. Die VII. ab Antihect. Poter. gr. x. auri fulmin. gr. iii. rursus semel tantum, sed copiosa, dejecerat, cum levamine doloris capitis gravativi. Quomodo die XI. reconvalescens, rursus per hypocaustum ingrediebatur.

(a) Refer. L. VI. Annal. f. 545. Anno 1699. mense Decembri. Sicut nonnunquam epilepsia soporem, sic convulsiones paralytin mentiuntur. Confer. Hipp. L. I. Epid. S. III. Aegr. XIII. *mulierem in litore, trimestri foetu gravidam*. Valles. in Comment. Bonet. Anat. Pr. f. 262. River. Prax. L. I. C. VII. f. 215. Talemque fere spuriam paralytin in hac virgine suspicor; à simili pasmodica paralyti virgini Lebiginensi, ex amore vesano, tempore menstruo, alter tantum oculus claudebatur. & T. VIII. Hal. Obl. XI. p. 259. historiam descripsi pueri, cujus totum latus paralyticum erat, cum strabismo quoque; illius oculi, propter turundas, que in digito, spina ventosa corrupto, nervum articuli offendebant.

(b) Alias casus hic auri fulmantis singularem virtutem antepilepticam seu antispasmodicam demonstrat, illudque ab omni vehementia & noxa evidētissime purgat, contra illius præstantiam, aprine magnam, confirmat.

Aegr. VI. Subcenturio (a) 30. circiter annorum, homo quadratus & carnosus, elapso anno vix ex ictero convaluerat; hic vesperi tria vulnera ostendebat, ante horam circiter inflata. Quorum primum, cæsim factum, in sinistra fronte ad primam cranii tabulam penetrabat. (2) contusio gravis in eodem tempore sanguine multo extravasato terrebat (3) vulnus, punctim inflatum, a sinistra mamma sub cute ad umbilicum usque descendebat. Cum hæc libras duas vel tres circiter, cruoris profudissent, brachium sinistrum frigidum sine pulsu deprehendebatur, decubitusque in utrumque latus mox denegabatur; nocte horror opprefferat, singultus & lumborum do

dolor supervenerant, præscribebantur itaque pulveres cinabari diaphoretici & tinctura bezoardica. Die II. horrorem novum vomitus spontaneus sequebatur. Die III. per noctem inquietam, ab usu tamen diaphoreticorum, sudor nullus observabatur, ventris status ab inflammatorio vulneris tumore, quasi ab obice, retiner; dicebantur, comitabatur inanis vomendi conatus & puncturæ quasi ab aciculis per corpus artusque purpuram portendebant. (b) R. Rhabarbari pulv. gr. XV. Diagrid. gr. iii. unde cum multis flatibus bis dejecerat & vomendiconatus cessabant. Diei V. nocte, pariter inquieta, oculis vix conniventibus, deliræ mox expavescentiæ terruerant, sudores largi pessimo acore foetebant, decubitus in latus facilius evadebat, ac purpura vesicularis in pectore dorsoque cœperat erumpere. Die VII. post criticæ perturbationis inquietudinem à pulverum cinabarinorum dosi duplici, ex errore semel assumpta, cum somno multo, deliriis immuni, usque ad mesonyctium largissime sudaverat, sed expergefactus euphoriam laudabat. Cum autem per eandem interdium, lecto neglecto, sudores omisisset, rubedine disparente, pustulæ tantum miliares supererant. Quamobrem die VIII. nocte inquieta per somnum deliria multa miscuerat, cum urina rursus tenui, brachiorum crurumque subsultus, imo capitis tremores, terruerant; præter pulveres igitur cinabarinos continuandos, tincturæ bezoardicæ Elixir volatile proprietatis substituebatur, ad guttas 40. bis singulis diebus fumendum; unde sudor acidissimus foetoris repetebat. Quo diebus IX. & XI. continuante, die XIV. perfecte judicatus, reconvalescebat. Vulnus frontis tum jam consolidatum erat, pectoris laudabile pus exhibebat, sed in temporis contusione (c) tumor adhuc mollis ad tactum dolebat, neque unguento cum camphora & spiritu volatili adhuc discuti potuerat; quanquam deinde adhuc emplastro penitus resolveretur.

(a) Referente L. XI. Annal. Pr. f. 333. mense Januario A. C. In hoc ægroto notatu digna est duplicis acutæ febris complicatio, quasi symptomaticæ à vulnere, & essentialis purpurate secundum temporis illius constitutionem epidemicam.

D

(b) Ve-

(b) Venæ sectionem, alias invulneribus capitis necessariam, & copiose jam profusus sanguis & perfrigeratio prohibebant, catharsin autem blandam æque prætermittere, minus consultum videbatur; cum propter communem in vulneribus capitis medendi methodum, laxantia postulantem, tum propter crudorum humorum in primis viis orgasmum, ex ructibus, singultu, vomendi conatu dignoscendum; præsertim vero propter vulnus, ventris, cuius inflatio, ab illis facile timenda, vulnus, & hoc illa gravius omnino exacerbasset. Quantumvis autem dolor punctorius, quasi ab aciculis, ut certissimum purpuræ signum, catharsin prohiberet; tutius tamen illa, non evitanda, tanto ocyus in principio adhuc, quam in ipsa eruptione, suscipiebatur.

(c) Sudorifera communis, vulneribus capitis medendi, methodus fere postponit, salium autem volatilium usum, maxime propter deliria, formidat; cum tamen sanguis coagulatus, ut fere omnium in iis malorum unica causa, ea indicet, neque sola topica tum sufficiant. Quam sevisima symptomata, & in primis deliria, sola muscoli temporalis contusio ferat, etiam ossis subiecto illaeso, Cartieri observatio in Boneti Anat. Pract. f. 1565. legenda, monstrat. Secundum quam, venæ sectione frustra iterata, incisio facienda fuit, per quam sanies acris effluens symptomata omnia, morbumque ipsum levavit. Quantis igitur laudibus digna sunt salia volatilia, quæ tam efficaci resolutione pollent, ut difficili hac operatione superfedere liceat.

Aegr. VII. Idem (a) paucos post menses ex ira die I. & II. horruerat, hinc febricitans, viribus valde prostratis, cum calore tenui, pulsuque debili manibus tremebat, nullis adhuc usus medicamentis. Die IV. quamprimum oculis connivebat, delirabat. Die V. novo horrore oppressus, à diaphoretico pulvere sudaverat. Die VI. (b) oculorum album flavescebat, urina, instar ictericorum, cum croceo splendore rubebat, biliosa sponte dejecerat, cum pulsu debili vigilans delirabat. Die VII. delirium increfcebat, neque icterus magis erumpibat, neque sudor observabatur, quantumvis quotidie pulv. cinabarinis & Spir. cornu cervi uteretur. Die IX. sopor arctus, infomniis gravibus magis delassans, integram noctem fereque diem compleverat, per eundem spasmodici subsultus manus exercuerant, imo pollices contraxerant, pulsu debili tangendo; circa vesperam expergescentis facies sublivescerebat, mens constabat, juxtaque sudorem parvum criticum urina sub rubra pissaque non turbabatur. Die X. per noctis soporem convulsivi

mo.

motus corpus univcrsum exercuerant, & cum sudore frigido ac dyspnoea, hinc cervix dolebat. Die XI. extremitates primum diu penitus frigerant, sed, iis recalescentibus, æger sine convulsionibus dormiverat, exinde mente prudens; medicamentorum dictorum, continuatus tamen, usus, urina citrini coloris, sudorem adhuc nullū exprimere potuerat. Die XII per integram noctem a profundo quietoque somno haud expergefacti, caput, non amplius dolens, pruritus vexabat, & cum urina aquea calor tenuis resurgebat. Die XIII. (b) Solis ecclipsis notabilem dysphoriam haud tulerat. Die XIV. critice præter (c) vomitum biliosum flatus multos emiserat, unde sine quovis sudore dysphoria minor notabatur. Die XV. ab essentia purgante ter dejecerat, quæ continuabatur, sed die XVII. illa, seposita, mane pulvis diaphoreticus sudorem, haud satis largum, tulerat; hinc vero acerbum capitis dolorem sternutationes magis exacerbabant, quem vero vespertinus sudor largior, à continuato salis volatilis usu, rursus solverat; die XX. sponte ter biliosa dejecerat, rursumque sanus potabat.

(a) Refer. L. XI. Annal. f. 419. mense Majo A. C. *Icterus alias VI. die letalis* habetur, eo vero magis tantum oculorum flavedo cum urina crocea, quia minorem illum hæc denotant, adeoque perniciosam crisin duplici signo, & diei male critici, & parvitatibus, portendunt. Sed Hipp. L. I. S. II. 121. Vol. I. p. 664. in ictericis tum, propter orgasmum, *alvum exturbatum* malum minuisse, pluribus exemplis docet. Confer. S. IV. aph. LXII. & Rulandura de Lue Ungar. Hist. V. p. 187.

(b) Rara non sunt artis; ideoque rarissimam hanc observationem minime notare volui, ut ea deroget de valore medici siderum influxus, quem maximum semper in praxi mea observavi. Magnifico potius nostro Hoffmanno maxime gratulor, quod hunc nuperrime in dissertatione solidissimis argumentis a consuetu neglectu suo ad medicinam in ejusdem incrementum exoptabile revocaverit.

(c) vomitus hic biliosus non febrem biliosam, quæ refrigerantia hinc indicasset, significabat, ut juncta extremorum perfrigeratio inculcat.

(d) Hipp. Coac. l. 20r. Vol. I. p. 533. *Quibus ructus adsunt, & flatus, strepitus ac elevationes ventris* (tanquam orgasmici signa) *his fit alvi exturbatio;* quam crisin essentia purgante juvare, consultum videbatur.

Aegr. VIII. Baro, ann. circiter 24. & eques ordinis crucigeri, vexillifer Guelphicarum copiarum, ex castris Ungaricis

cum ipsis redibat Hic, horrore febrili ac lassitudine oppres-  
sus, sudaverat, & a chirurgi castrensis vomitorio vigefies vo-  
muerat, totiesque alvo dejecerat. Die IV. cum lingua alba  
scabraque febricitans, anxie se jactabat, turbulentisque inso-  
mniis fatigabatur. Die V. a sudorifero sudaverat, minus dyspho-  
rus; die VII. continuato diaphoreticorum usu, post criticam  
cum parvo delirio perturbationem, largissime sudaverat, san-  
guis e naribus profluxerat, copiosam urinam miserat, sternu-  
tationibus nares aperiebantur, pustulæque labia defoedabant;  
sic quoque diebus XI. & XIV. copiose sudabat. Hinc igitur  
euphoro, appetitus restitui coeperat, sed inde ventriculū  
cibo mox largiore gravaverat, ut copiosi ructus significabant.  
Die XV. arharbari essentia leniter purgabatur; die XVII. re-  
cidiva vomitibus, aliquot alvi dejectionibus, larga narium  
hæmorrhagia, largisque sudoribus solvebatur; sed adhuc im-  
perfecte; die XVIII. igitur â resina Jalappæ mercurioque  
dulci quinquies cum summa euphoria dejecerat & hinc recon-  
valescebat.

(a) Refer. L. IV. Annal. Pr. f. 633. Anno 1685. mense decembri. Casus  
hic ostendit, tres tantum dejectiones & unicum vomitum, in febris principio,  
ut hypercatharsin, minus accusari posse, præsertim, quæ, viribus mox pro-  
stratis, mortem afferat. Quanquam vomitoria tam vehementia, chirurgis  
castrensis tantum solennia, probare nolim, neque minora, sed intempesti-  
va, semper ut innocua, in febrium principio excusare laborem.

(b) Hipp. L. I. Epid. S. II. 170. Vol. I. de plurium crismum concursu sa-  
lutari hæc habet: *Acciditque multis, ut non ex uno præscriptorum signorum  
judicarentur, sed per omnia percurrerent, & grævius quidem habere videban-  
tur, conservabantur autem omnes, quibus hæc accidissent.*

Aegr. IX. Civis Camburgensis 40. annorum, truncum  
quercinū cum aliis elevaturus, corpus acuto tractu convellerat;  
unde, horrore oppressus, instar pleuriticæ, febricitaverat, ne-  
que, integro anno elapso, reconvaluerat. Hic, jam (a) carni-  
bus colliquatis, viribusque deperditis, macie confectus summa,  
cum tussi ferina copiosum sputum, more phthysicorum, excre-  
abat, pastusque vel parcissimus ventriculum gravabat. Multis  
igitur plurium medicorum jam frustra tentatis, eidem tum-

tem-



temporis collega meus Naumb. senior, vir eruditus, & practicus æstumatissimus, ut deplorato, auxilium quodvis denegaverat. Nihilominus, DEI singulari gratia, præter omnem spem reconvaleſcebat, usus, juxta species decocti pectoralis, pilulis ex mercur. d. (b) scrup. I. resinæ julapp. l. a. sol. gr. X. & succ. liquirit q. f. A quarum dimidia parte, prius sumta, duodecies dejecerat. Quas igitur pilulas, tanquam panacæam, æger hic deinde per oppidum & circumjacentes pagos decantabat; sicut etiam anno seqv. mense decembr. ipse, carnosus & succiplenus, cum alio ægroto me invisens, solis his pilulis reconvalescientiam suam ascribebat.

(a) Refer. L. II. Annal. Pr. f. 329. Anno 1678. mense Majo. Febres acutæ sæpius ob crudos humores, in primis viis copiosos, imperfecte judicantur, ut hinc in hædicas secundarias declinent. In quibus purgantia, caute intercalata, maxime profunt; quanquam tum illa sola per plures hebdomadas singulis diebus continuis exhibere, verear; præsertim cum forte natura crisi per sudores, adhuc quidem subfrigidos & particulares, item abscessus in extremis movere laborat.

(b) Sic River. C. III, Obs. XXXI, f. 6:9. hunc sub nomine calomelanos in tusſi maxime laudat, quem pluribus propriis observationibus comprobandi, copia daretur; præsertim vero medicamentum hoc laudem meretur, si ex mercurio, in destillatione cinabaris regenerato, paretur & auro fulminante addito, corrigatur.

Aegr. X. Lanionem Naumburgensem, 40. circiter annorum, mox ab horrore febris, lipothymia ac suffocationes oppreſſerant. Die IV. cum spontaneo largissimo sudore, tepido tamen, dentes collidebat; juxta præcordiorum anxietatem, cordisque palpitationem, quasi per horrores, non tamen frigidus, tremebat; Lumbricus, cum enemate rejectus, plures supereſſe, significabat; (b) præsertim cum ex ore, quasi per cannulam, saliva efflueret, sensusque, quasi nodi cujusdam, gulam obturantis, affligeret; ideoque cum alvus a mercurii d. gr. XV. resinæ jalapp. l. a. sol. gr. viii. ne quidem responderet, enema lacteum cum Elect. diacath. unc. I. infundebatur; unde alvus, præter vomitus aliquot, undecies foeda, mucoſa & tenacia cum euphoria dejecerat. Nihilominus die V. crassus mucus in gula hærere, ac mobile quid a cordis

scro-

ferobiculo per venam ascendere, dicebatur. Die VII. fornicationis sensus per brachia manusque usque in digitos excurrebat, & cum largissimo continuo, spontaneo tamen, sudore purpura parva erumpebat. Qua rursus die XI. disparente, ac sudore adhuc largissimo profluente, labia tremebant, vagi breves spasmodici sensus 'mox dentes', mox maxillam, mox cervicem infestabant. Die XIV. præter expavescentias in somno, ventris meteorismum, calorem in manuum volis, faciei ruborem atq; calorem volaticum, corpus univèrsum sæpius contremiscebat, à mercurii dulcis Scr. I. ref. jalapp. gr. IX. præter vomitum unum, pluries, simulque quinque magnos lumbricos rotundos, (c) dejecerat. Die XVI. tremoris paroxysm9 rursus corpus concusserat, dolores præter artuum spasmodicos, ex pedibus in genua recurrebant, oculis convulsivis, mox expavescens, pollices contrahebat, calor volas major, quam manus externas, urebat, sudorque adhuc largissimus continuabatur, sed hinc alvus iterum lumbricum dejecerat. Die XVII. alvi fæces ab hæmorrhoidibus inflatis parum cruore tingebantur, solitus tremor cum lipothymis adhuc fatigabat, per somnum labia spasmi cynici. & extra eundem, tremores exercebant. Die XIV. a purgante mercuriali quater vomuerat, sed sine lumbricis, tenacem tantum mucum; unde sensim dysphoria, febrisque declinabat, symptomaticis remittentibus. Die XXIV. oculi, per totum morbum obfuscati, plenum demum visum recuperasse, dicebantur.

(a) Referente L. I. Annal. Pract. Obs. LXXXIX. Anno 1677. mensè Decembri. Qui casus Riverium Pr. I. c. signis orgasmi lumbricorum etiam copiam jungentem, confirmat, simulque ostendit, signa illa orgasmi communia, quæ secundum Galenum ex eodem & Viscero C. I. §. III. proponuntur, experientiæ quidem respondere; sed non tam minere febrilis in venis magnitudinem, quam ex cruditatibus primarum viarum spasmos significare.

(b) Secundum enim Hipp. S. II. aph. XXIV. Vol. I. p. 74. Dies IVtus pro dimidia sui parte, criticus est, hinc ab eodem futuræ criseos indicia sumuntur, non quidem semper proximo die critico, scilicet VII. sed etiam demum XI. & ultra, subsêcuturæ. Neque verò secundum Hipp. L. IV. de morb. XXVII. 41. Vol. II. p. 152. *Lumbricum tantum latum*, sed etiam rotundos multos *sputa multa ex ore fluentia* significant.

(c) Hipp. de judic. I. 7. Vol. I. p. 438. *Commodum est, & lumbricos multos exire ad judicationes.*

S. D. G.

Erratum. P. 15. lin. 10. lege per febrem malignam deliriis & convulsionibus extreme debilitata,

05 H 660

ULB Halle

3

004 228 952



667





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D. PANCRATII *Wolffs* /  
PROFESSORIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
PUBLICI

*Hippocraticus* προ-εξ-ευ-κνήσας

declarans

**ORGASMUM,**  
URGANTIA IN FEBRIBUS  
ACUTIS, ALIAS INTEMPESTIVA,  
URGENTEM

Adjectis etiam X. Aegrotis,  
fficillimam ejusdem praxin elucidantibus, & simul auri  
fulminantis saliumque volatilium præstantiam  
comprobantibus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCVI.